IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Seite 186
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift





multorum temporum spacia. post diuturna ieiunia. post terrenorum
duriciam lectulorum post alios labores celestis philosophye
contigisset. nec sic quidem desperandum putarem quamuis uideretur
esse non parua piorum iactura meritorum licet maximum dampnum
plures putarent. post tot tantosque sudores. tot luctus.
tot pericula. tot palmas. subito iacere cum uictis. Verum
quia is nunc te in precinctu certaminis cum quo eras certa
turus elisit. hoc tantum proficit. ut fortiorem te sentiat
resurgentem. Modo ut in eportu soluenti magis quam de com
merciis reuertenti. ac repetita diuitiis expetitis
nauigia reportanti occurrit incassum pyrata uiolentus.
ut si quispiam prouocatum leonem conetur occidere sola tan
tum radentis transitum ferri pellis agnoscat. Non solum illum
profecto non lesit. sed cautiorem seuioremque in sui magis per
niciem prouocauit. Lubricum genus est natura mortalis. cito
quidem labitur. sed non sero reparatur. et ut facile cadit ita et
uelociter surgit. Beatus quoque ille uir dauid loquar
electus in ordine rerum electus in numero prophetarum. post ea
quam in plurimis dignus deo apparuit hominem se esse
monstrauit. et amore quodam alienae mulieris ex
arsit. nec hoc solo contentus fuit. sed et adulterium
ex cupiditate commisit. et homicidium propter
adulterium perpetrauit. Sed non ideo quomodo du
plex uulnus acceperat. etiam tercio se ipse per
cussit. uerum mox ad medicum conuolauit. et
diuersa medicamina plagis festinus apposuit.